

est Euonymus, neque ad illum in ordine naturali accedit) et Lucuma.\* Sed flores ostendere Fagara et Citharexylon. Fagara mas staminibus quinque gaudet, sed hujus arboris characterem scripsit D. Bæck; fœmina vero florere incipiebat anno præterito; hujus floris characterem aliâ vice communicabo, simulque Citharexyli descriptionem, quoad partes singulas fructificationis, solo excepto pericarpio, quod ad frugem venire huc usque recusavit. Glans unguentaria mihi videtur longissime recedere a Bonduc, nec ullam cum hac arbore affinitatem reperio. Desunt mihi e plantis Sibiricæ, quarum semina possides, secundum Ammanni indicem, Cardiacæ 62. Papaver 81. Sedum 93. Pentaphylloides 116. Liliium 139. Lupinaster 143. Vicia 147. Astragalus 166. Lathyroides 151. Melilotus 158. Delphinia 174–175. Absinthium 193. Lactuca 211. Aspalathus 282, 283, 284. Blitum 239. Amethystina 70. Ruyschiana 64. Lophanthus, Anandria, &c. Ea si mittere [mittes?] per quamdam amicorum occasionem, rem facies mihi pergratam; interim valeas, et fac ut noscam opportuno tempore quæ a te cupiuntur plantæ ex horto nostro, cujus Catalogos secum tulit amicus D. Bæck. Salutatur te plurimum frater meus, ambabus ulnis amplectitur te D. Laserre botanicus chirurgus, de te memoriam pictrix virgo agit et te salvum esse cupit. Iterum bene valeas et me amare perge nec desinas.

Parisiis die 7<sup>a</sup> Maij, Ann. 1746.

---

VIRO ÆTERNUM COLENDO  
DD. BERN. DE JUSSIEU,  
PROF: BOTANICO INCLYTO.

ALIORUM omnium, quotquot desidero, literas accipio iteratis vicibus; tuas vero quæ præ aliorum omnium mihi suavissimæ raro obtineo; hoc me jam vexat; licet nunquam potuerim tibi tantas, quantas debui, gratas reddere pro millenis et æternis beneficiis, tamen nullam intermisi occasionem de te cum veneratione loqui et de nomine tuo magnifice sentire.

Regiâ gratiâ Archiatrorum comitis nomine insignitus sum; hanc veneror, sed tuam gratiam nulli postpono, vellem potius Tuum dici amicum et servum.

*Iter W.gothicum* † nuper a prelo prodiit; refertum bene multis observationibus in historiâ naturali, sed linguâ Suevicâ; octavo, paginæ 300 et tab. 5, ubi et insecta marina et flores Algæ delineatæ et varia œconomica ac curiosa.

\* *Achras mammosa*, L.

† *Wästgöta-Resa, på Rikens Höglåstige Ständers Befallning förrätad år 1746.* Stockholm. 1747.